UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Quadragesimale

**Paoletti, Agostino**

**Coloniae Agrippinae, 1677**

Dominica IV. Quadragesimæ. 22. Christus honores & regias dignitates fugit, sciebat enim melius esse servire, quàm imperare, subditum esse, quàm superiorem, quia gubernatio dura quædam servitus est.

**Nutzungsbedingungen**

urn:nbn:de:hbz:466:1-55672

Visual Library

& aggrederentur, quem ipſe pacis oſculo honoraturus eſſet: *Quemcunque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum*: Itane? illum quem tu oſculaberis conſtringent? Ergone efficere audes, ut ex oſculo, quod amoris & benevolentiæ ſignum eſt, nafcatur adeo exectabilis Domini & Dei tui proditio? ex oſculo pacis miniſtro, & concordiæ meo? ex oſculo pacis miniſtro, & concordiæ merore tu traditiones & militiæ ſtratagemata eli cies? *Oſculo tradis?* (interrogat Ambroſius) *hoc eſt, amoris pignore vulnus infligis? & pacis inſtrumento mortem irrogas?* Ego autem hoc loco obſervo verba, quæ Salvator noſter Judæ dixit: *Iuda, oſculo Filium hominis tradis!* quaſi inſinuare voluiſſet traditionem ſuam adeo turbulentam ſuturam non fuiſſe, ſi ipſum abſque ſui oſculo tradidiſſet: at vero qeod ad bellum movendum, & inſidias ſtruendas oſculum adhibeat Chriſtus, quantumvis ad tormenta flagellorum, ſpinarum, foriſque crucis promptiſſimus eſſet, ſuſtinere non potuit: *Ac ſi non tam ægrè ferat Chriſtus ſæviſſima paſſionis cruciamenta, quam amoris pignore, benevolentiæ ſpecie, & virtutis prætextu illum tradere, & in illum ſævire*, inquit gravis quidam Scriptor. Et quam eſſe cauſam exiſtimatis quod dum in Sabbato ſancto Miſſa ſolemniter cantatur, in qua omnia ad Paſſionem Chriſti ſpectantia vivaciter repræſentantur, cur inquam in illa Miſſa Pax non detur? Cauſa hujus illa fuit, quia quod Judas pacem adhibuerit ad machinandam Magiſtri ſui traditionem, adeo vehementer Dei filio diſplicuit, ut non voluerit de hoc literaliter, nec figurate ullam loquendo mentionem fieri. *Non datur Pax in deteſtationem oſculi proditoris*, inquit Durandus. Durand. lib. 6. Dom. 5. Paſch. fo. 243. n. 7.

23. O quot inveniuntur, qui bono utuntur tanquam medio ad committendum malum! quot, quot, inquam, ſunt, qui ex virtute vitia, ex ſanctitate peccata eliciunt. Enimvero hic inter nos confidenter loquamur: Dic ſodes ſanitas & divitiæ quas Deus adeo liberaliter tibi donavit, quo fine tibi inſerviunt? Num forte illa uteris ut tanto majori cum fervore Divinæ Majeſtati inſervias? Haſce vero in pauperum adminiculare ſubſidium impendis? Utinam ego mentirer, ambobus Dei donis uteris tanquam medio quodam ad ſatiandam effrænem carnis tuæ laſciviam & libidinem. Hoc, quo tanquam miniſter Juſtitiæ fungeris, officium, nunquid à te adhibetur tanquam medium ad deprimendum pauperes, conculcandas viduas, & dejiciendos pupillos? Quonam fine ad hanc vel illam te recipis Eccleſiam? forte ex fine vel motivo religionis, vel devotionis, ut ſcilicet lucreris indulgentiam? Minimè gentium. Sed potius quia in illam concurſus inſtituitur domicellarum, ut illarum aſpectu oculos tuos paſcere poſſis: vel ut negotium aliquod concludas, quod ne in plateis quidem tractare liceret; adeoque ex devotionibus & indulgentiis, quæ ſunt ſpiritualia animæ tuæ remedia, tu peccati venenum elicis, ut tibi mortem adſciſcas: abſit, abſit à vobis hæc politia Diabolica, & *Æmulamini Chariſmata meliora*, eruite ex terra aurum, non vero ex auro terram excerpite.

---

## SERMO XXII.

# IN DOMINICAM IV. QUADRAGESIMÆ.

*IESVS ergo cùm cognoviſſet, quia venturi eſſent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus.* Joan. cap. 6.

1. DUm homo ex utero materno in hunc mundum naſcitur, tria potiſſimum in corde ſuo deſideria ſecum adfert. Per primum ambit in anguſtia intellectus ſui omne objectum intelligibile comprehendere, & ad ultimas ſive atomas uſque terum differentias omnium intelligibilium notitiam habere: *Omnia ſcire cupit*; unde forte Ariſtoteles occaſionem ſumpſit aſſerendi, quod *omnis homo natura ſcire deſiderat*. Ariſtot. Per ſecundum ſe infeſtiſſimum non eſſe inimicum declarans, ſemetipſum in hoc mundo æternare, & omnium futurorum ſæculorum eſſe hæreditare, licet fruſtra & in vanum deſideret,

neque cum eſſe ipſiuſmet hæreditatis concertare erubeſceret, ſi natura ei ad hoc vires ſubminiſtraſſet correſpondentes: *Semper vivere.* Denique per tertium deſiderium ad dominium quoddam aſpirat, quod velut Gigas inter omnia reliqua emineat; & ad authoritatem, cui ſe reverenter inclinent & ſubdant omnium voluntates hominum, nec ſit qui ad nutus ſui fulmen promptiſſimè obediens cum ipſamet non contendat velocitate; unde alis deſiderii ſui ad fortunæ apicem evolare anhelat, & in ſupremæ dignitatis vertice conſidere, & ſuperbos oculos ſuos demittendo videre pedibus ſuis advoluta ſceptra ad jurandum fidelitatis Sacramentum, coronáſque potentum ad pendendum tributum: *Aliis præeſſe.* Unde Plutarchus ſcribit, quod Julius Cæſar alpes pertranſeundo Caſtello cuidam appropinquans dixerit:

*Plutarch.*

*Mallem hic eſſe primus, quam Romæ ſecundus.* Verùm enimverò, ô Auditores, ut veritatem libere & ingenue fatear, nullum horum deſideriorum eſt homini adeò connaturale, ſicut tertium. Quæ non committuntur enormitates ab eo qui ad eum gradum aſcendere præſumit, in quo aliis omnibus Prælatus & ſuperior eſſe videatur?

*Ambroſ. Marlian. in Theatro polit. cap. 3. fol. 150.*

*Vbi de ratione ſtatus agitur, nulla habita ratione rationis, violantur jura, dilaniantur ſanctiones, confringuntur fœdera, negligitur fides, & ut breviter ſingula omnia perſtringam, nulla legum, nulla divini nominis & numinis reverentia;* Scriptor quidam Modernus, ſed eruditus poſt ſe ſcriptum reliquit. Antonius filius Severi Imperatoris, paterni nominis affectus in corde ſuo ferens ut ſecurum ſe redderet, ne frater ejus de imperii prætenſione ſecum concertaturus eſſet, eo tempore quo mater fratri infanti adhuc dulcia lactis alimenta ſubminiſtrabat, atrociter eum occidit, ut ſicut ab uberibus maternis lac vitæ ſugebat, ita quoque mortis ſanguinem pariter biberet. Agrippina Imperium filio ſuo proprii ſui ſanguinis pretio, & vitæ moneta comparare non abhorreſcebat: *Occidat, modo imperet.*

*Alexand. ab Alex. lib. 4. dieb. genial. c. 26. f. 64.*

Aſtyages Rex Medorum præcepit genero ſuo, ut qui ei ex filia naſciturus erat nepotulus ſuus, mox ut natus eſſet feris protinus devorandus traderetur, eo quod ab Ariolis ſive Magis ſomnium aliquod quod habuerat, ita expoſitum fuerit, futurum nimirum ut hic ejus nepos regno eum exueret: & tamen èċontra idemmet Nepos qui poſtea Cyrus fuit, bellum ei movit,

*Quin. Curt. l. 4.*

in quo Medis in fugam actis Aſtyagem captivum accipit, ſeque Regni Medorum Imperatorem conſtituit. Audite inſuper quonam furor crudelitatis Lotharii aſcenderit. Hic etenim abſque ullo innocentiæ vel ſanguinis reſpectu filios ſuos ad parietes palatii ſui alliſit, ac tandem nimia impietate ſuperatus ferro eos tranſfixit, ad mortis umbram eos condemnando, ne inter magnificentiæ ſuæ ſplendores deinceps comparerent. Nunquid Antipater etiam ad hoc ut Alexandri in Macedonia ſucceſſor fieret, uſus eſt veneno & toxico? Imo idemmet magnanimus Heros Alexander, nunquid mediante Pauſania Philippum genitorem ſuum è medio tollere tentavit? Semiramis à Rege Nino marito ſuo unico tantum die Regni habenas moderari ut poſſet, impetravit, & mox velut per jocum Regem in carcerem conjici mandavit, atque ante diem illum expletum, eundem in carcere trucidari præcepit, ut hac ratione marito ſuo mortuo, ipſa abſoluta maneret totius Regni Regina & Domina. Fredegundis Regina *quot innoxios truncavit regio ſanguine ſata!* Nunquid etiam Ptolomæus in convivio quodam Simonem Judæorum principem, una cum duobus filiis ſuis trucidari curavit *regendi cupiditate*, Athalia quoque in extincto filio ſuo Ochozia omnem ſpem ſuam Coronam & ſceptrum hæreditandi mortuam eſſe videns, adhoc ut nullus alius præter ipſam ſuccederet: *Nonne interfecit omne ſemen regium?* Quid de ferocium Thracum cupiditate dicemus? *Quorum Imperator ut primum ſuſcepit regni gubernacula, confeſtim omnes fratres quamvis adhuc imbelles, & in cunis vagientes trucidari jubet.* Cum Alexander filius Herodis Regis Judææ occiſus eſſet, juvenis quidam Hebræus defuncto ſimillimus, *dicebat ſe eſſe Alexandrum Herodis filium, non alio fine, niſi ſe quod poſſet paterni Regni jura ſuſcipere.* Sic quoque Rex Saul quendam Cantatricum chorū victoriam Davidis celebrantem audiens. *Saul percuſſit mille & David decem millia* furoris ſui aciem in lapide invidiæ exacuens deficiebat præ timore, quo verebatur ne ejus conatus & facta heroica ad Judææ regnum ipſum eveherent: *Quid ei ſupereſt (dicebat) niſi ſolum regnum?* Abſolon quoque quot non fabricabat chymæras, quot male digeſta phantaſmata ferebat in mente, ratione coronæ accipiendæ, quam è vertice Capitis deturbare procurabat? Lucifer *ex nimia dominandi libidine*, & nullo alio fine temere ſublimari prætendebat, quam *ut cæteris præeſſet, & nulli ſub deeſſet*, ut ſcribit Sanctus Bonaventura, Sanctus Auguſtinus & Divus Gregorius Papa Porrò

Salvator

Salvator noſter non ſolum ſimiles prætenſiones vel judicia non habuit, ſed potius quando turbæ Evangelicæ unanimi conſenſu ad eum in Regem eligendum concurrebant ( *repugnantem eum Regem facere aggreſſi ſunt,* ) inquit Toletus, ipſe regiæ dignitatis purpuras & ſceptra mediante fuga enixè recuſabat : *Fugit in montem ne fieret Rex à turbis,* non quaſi illam dignitatem minimè mereretur ſed *ut doceat nos honores humanos fugere, & ut omnem prorſus à ſe regni ſpem aſſiſtentiumque removeret,* inquit Maldonatus, quia ut videbimus, regnare non eſt aliud quam ſervire, & in dignitatibus nil reperitur aliud quam meræ anguſtiæ. Verum quidem eſt quod quiſquis illis deſiderat, illud credere nequeat, exiſtimo tamen quod ad idipſum credendum vos omnes capaces reddere poſſim, dummodo cum ſilentio & attentione me dignati fueritis auſcultare.

1. *Fugit iterum in montem ipſe ſolus ;* Et hæc quidem fuga cauſata eſt, quia prævidit quod turbæ illum in Regem eligere & proclamare vellent: *Cum cognoviſſet, quia venturi eſſent, ut raperent eum, & facerent eum Regem.* Enimvero Genitius Cippus ſi quis alius optimè cognovit quam grave pondus & onus ſit regnare , nam cum è Civitate egredienti prodigium aliquod accidiſſet, prognoſticatum ei fuit, quod ſi revocatus in civitatem denuo rediret , in Regem infallibiliter evehendus eſſet : *Genitio Cippo prætori paludato portam egredienti, novi & inauditi prodigium incidit : namque in capite ejus ſubitò velut cornua emerſerunt, reſponſumque eſt eum Regem fore ſi in urbem reverti ſſet.* Quid porro illum eum feciſſe exiſtimatis ? Haud dubiè credentes quod quævis hora viſa fuerit in mille annos extendere, donec Civitatis portam denuo reingrederetur : at vero valde fallimini, ipſe etenim contrarium facit, nam potius perpetuum à patria ſua exilium prælegit, ne eventus ei de regno adipiſcendo prædictus veritatem ſuam aſſequeretur : *Quod ne accideret, voluntarium ac perpetuum ſibimet indixit exilium.* Diocletianus poſtquam Imperium Romanum viginti annis gubernaſſet, tandem ſe à principatus moleſtiis quibus opprimebatur liberare decrevit ; cumque jam ad depoſiti ſemel ſceptri moderationem denuò depoſceretur, reſpondit : malle ſe *terram colere quàm imperare.* Et fortè hi conſcii erant moniti illius quod Pythagoras in ſymbolis ſuis ſcriptum reliquit, dicens : *A fabis abſtineto,* quod licet à variis variè exponeretur , Plutarchus tamen exiſtimat ſapientiſſimum hunc Philoſophum indicare voluiſſe, cavendum eſſe cuivis feliciter vivere deſideranti ne ſe Magiſtratus aliarumque dignitatum muneribus oboneraret : *Abſtinendum à tractandis Reipublicæ muneribus, propterea quod antiquitus in creandis magiſtratibus ſuffragia per fabas vice calculorum ferebantur.* Plato difficulter credere aut ſibi perſuadere poterat eum qui regimen ambit aliorum non aliqua maniæ vel inſaniæ ſpecie laborare : *Vnuſquiſque qui non amens ſit, potius eligit alium ſibi præeſſe, quàm dum aliis ipſe conſulit, multis ſe negotiis implicare.* De Imperatore quodam ſcribitur , quod dum ſe à muliere quadam beatum proclamari audiret , is rumorem hunc tolerare non valens , turbato vultu ad eam converſus, dixerit : *O mulier ſi ſcires quanta mala ſub hoc diademate latent, non profectò beatum, ſed me infelicem appellares.* Rex quoque Syracuſanus ſuper caput cujuſdam aulicorum ſuorum, qui felicitatis florem in eo conſiſtere exiſtimabat, quod in qualitate regnantis Principis publicè conſpicuus eſſet, ſuſpendi fecit enſem quendam è tenui filo pendulum hæc ei inſuper verba ſubnectens : *Exiſtima ergo quando felix eſſe poterit, qui timere non deſinit.* Quænam enim inveniri poterit majoris ſervitutis ſubjectio , quàm ſubditorum regimini deſtinatum eſſe. Valde etenim multi ſunt ſubditi, qui omnes à ſuo Principe vel Rectore audiri volunt, omnes autem attenta aure auſcultare, eſt iiſdem plus nimium ſubjici, unde niſi omnibus & ſingulis jam auditis deinceps pro voto ſuo ſatisfeceris, lamenta plurium audire cogeris. Quando Pharao Joſephum totius Ægypti viceRegem declarare voluit, catenam auream collo ejus circumvolvit : *Collo torquem auream circumpoſuit.* Ubi obſervandum, quod licet catena hæc aurea fuerit in ſignum ſublimis magnificentiæ & dignitatis, vera tamen catena extiterit qua velut mancipium vinctus & obſtrictus tenebatur : *In ſignum ſervitutis.* Unde & Antigonus Rex filio ſuo dixiſſe fertur : *An ignoras, ô fili, regnum noſtrum non fere aliud eſſe quàm ſervitutem glorioſam.* Alexandro Magno DEUM ſe eſſe præſumptuosè nimis jactanti Diogenes Philoſophus dicere non dubitavit : adeò à veritate alienum eſt DEUM te eſſe, ut te potius ſervum ſervorum meorum dicendum eſſe exiſtimem, verè enim illorum es ſervus & mancipium, quibus ego glorioſè impero : *Nequaquam, ô Alexander es Dominus, ſed ſervorum meorum es ſervus, illis enim cupiditatibus quibus ego impero, tu mancipium es.* Unde mirum non eſt olim in more poſi-

*Man. fol. 27. col. 1.*

*Plutarch. apud eundem.*

*Plato lib. 1. de Republ.*

*Didac. Vega ſerm. 4. Domin. 2. fol. 171.*

*Macrob in ſomnio Scipio lib. 1. c. 10. fol. 37.*

*Gen. 41. Philo. lib. de Ioſeph. Cal. Ro. li. 21. cap. 35. fol. 837. Ælian. lib. 2. var. hiſtor. c. 20.*

*Laertius lib. 6.*

poſitum fuiſſe frontem Regis non aureo diademate cingere, ſed faſcia quadam circumvolvere, fortè per hoc Regi inſinuando ſe ligatum, non verò coronatum Regem eſſe.

3. Poëta quidam moralis Pharaonem de magnificentiis regiis hunc in modum loquentem introducit:

*Ludovic. Crucius in comm. Ioſeph. act. 3. fol. 945.*

*Quicunque magni cupidus imperii invidet*
*Sceptro & Coronæ, & credit magnum bonum*
*Regnare populis regnet —— expertus malæ*
*Curáſque regni, dicat in regno boni*
*Quid ſit regendum.*

*Petrarcha.* Unde Adrianus II. Si Petrachæ credimus, nihil deterius alicui inimico deſiderare noverat, quàm ſuperioritatem, excellentiam & imperium: *Nullum ſupplicium majus de hoſte poſcebat, quàm ut Papa fieret*; Enimverò haud ſcio an aliquando obſervaveritis, quod in cunctis veſtimentis Pontificalibus manipulo, ſtola, planeta, &c. Crucis ſignum impreſſum cernatur, porrò Pater Jacobus Pintus hanc reddit rationem: *Summi honoris & ſupremæ poteſtatis Romani Pontificis inſigne eſt*; quaſi per hoc demonſtraretur, quod eſſe in dignitate poſitum nihil ſit aliud, quam cruce portanda eſſe onuſtum. Multoties intra memetipſum cauſam inveſtigavi, cur S. Petrus Apoſtolus, qui primus fuit Sanctæ Eccleſiæ Pontifex Maximus, non depingatur cum cruce, in qua crucifixus fuit, quæque martyrii ſui inſtrumentum extitit, ſed loco crucis in manibus ejus claves depingantur, ſigna authoritatis pontificiæ; cùm tamen S. Andreas exhibeat crucem, S. Bartholomæus cultrum, S. Paulus enſem, S. Thomas lanceam, S. Stephanus lapides, S. Laurentius craticulam: num fortè id factum eſt, quod dignitas pontificia à S. Petro majoris æſtimata fuerit, quàm quod pro amore Magiſtri ſui, pro defenſione fidei, pro Eccleſiæ incremento ſuſtinuit martyrium? Aut fortè timuit, ne crux ignominiæ patibulum aliquod majeſtati ſuæ inferret præjudicium, ſuamque gloriam obſcuraret? Nequaquam: nam Salvator noſter crucis ignominiam in ſummum transmutavit honorem: *Inter cuncta ſanè martyrii genera* (ita loquitur Cardinalis Damianus) *illud nobilius, illud non immeritò judicatur eſſe præcipuum, quod in ipſo Redemptore noſtro, capite videlicet martyrum, cognoſcitur dedicatum.* Aut ideo fit, quia ſecundum leges cum crux cæleſtis Regis ſpeciale inſigne ſit, inconveniens eſſe videbatur, ut ſubditus eo uteretur? *Non licet privato apponere arma regis in ſua domo.* Bartholus verò autem dicit: *quod hoc intelligendum ſit principaliter, nam acceſſoriè poteſt.* Ita enim S. Andreas crucem defert; ſic quoque crux coloris albi portari ſolebat in præliis in pectore ab iis, qui liberi erant, ut dignoſcerentur & diſtinguerentur ab Adverſariis; Angli quoque illam ſculpere vel depingere in ſcutis ſuis ſolebant colore rubeo; Reges quoque Indiarum, Siciliæ & Cypri ſingulari ſibi gloriæ ducunt, quod habeant crucem aurεam in campo argenteo armorum ſuorum. Cur igitur S. Petrus loco crucis claves in manu ſua defert? Meritò id facit: dicite enim, obſecro, an non S. Paulus etiam cæſus & lapidatus fuit? *Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum*, ponere igitur virgas & lapides, non verò enſem in manu tenere deberet, quod tamen non fit, eo quod enſis majus ei tormentum intulerit, ac tandem mortem accerſiverit. Videtur igitur S. Petrus claves manu ſua exhibens dicere velle, martyrium quod claves dignitatis pontificiæ adminiſtrando ſuſtinui, nec non & ſuperioritas ſpiritualis, cui earum cauſa ſuperintendi, majus & atrocius fuit martyrio, quod paſſus ſum in cruce: hoc enim leve, illud verò grave ſemper expertus ſum. O quot & quanta occaſione harum clavium videre debui, quantum peregrinatus ſum? quot horrida loca adii? quot labores & fatigationes ſuſtinui? quot perſecutionibus ſubjectus fui? Si in verbis calumnias, in factis verò clavium causâ patiebar injurias, contractis humeris patientiâ me obarmabam, adeò ut harum clavium causâ vita mea continuum meritò dici debeat martyrium. Unde S. Gregorius ait: *Mori à perſequente martyrium in aperto opere eſt, ferre verò contumelias, & odientem diligere, martyrium eſt in occulta cogitatione.*

*Iacob. Pin. de Chriſto crucifixo tom. 1. lib. 5. lib. 7. num. 5.*

*Pet. Dam. ſerm. 57.*

*L. 1. cap. de his quæ*

4. Porrò nil verius, quàm quod regnare nihil ſit aliud quàm vitam continuò inter faſtidia tranſigere, unde qui faſtidia non vult ſubire, ſed vitam ducere fœlicem & tranquillam, non ambiat ſuperioritatem nec imperium; Enimverò alius quidam dixit: Curas id ſibi proprium habere, quod Superiores, qui regunt, & officia ſua adminiſtrant gubernando ſubditos, ante tempus conſeneſcere faciant; Mihi verò eum Superiorum conditionem miſeriam non ſufficienter expreſſiſſe videtur, ſiquidem ulterius addere debebat, quod curæ eis eripiant vitam, faciendo eos mori ante tempus accelerando mortem. In memoriam enim vobis; ſi placet, revocate primorum & præcipuorum Patriarcharum veteris Teſta-

Teſtamenti vitam, annorumque quibus in hoc mundo vixerunt numerum diligenter inveſtigate, ſic enim calculum ducendo invenietis Abrahamum vixiſſe 175. annis, Iſaac 180. Joſeph vero, qui ex eadem linea oriundus erat, tantum vixit 110. annis, cum tamen utpotè inter omnes fratres ſuos junior, quantum eſt ex parte ætatis, præ omnibus aliis diutius vivere debuiſſet, qui ante omnes fratres ſuos mortuus eſt. Scio equidem, quod mors nullum habeat inter juventutem & ſenectutem diſcrimen, ſive reſpectum, nihilominus cum Joſeph adeò fuerit continens & caſtus, quod ad vitæ conſervationem plurimum confert, imaginatus mihi fuiſſem, curſum vitæ ſuæ diuturniorem & prolixiorem futurum fuiſſe: unde igitur fit, quod omninò acciderit contrarium? Abulenſis hujus rei cauſam muneri attribuit, quod tanquam viceRex Ægypti ſumma cum laude adminiſtravit, conformando ſe illi ſententiæ Eccleſiaſtici dicentis: *Omnis potentatus vita brevis.* Verùm enimverò dicat fortè aliquis, quod regnare ſit fœliciter & proſperè vivere; qui enim gubernat, alienus eſt à diſturbiis, & ab omnibus ſiniſtris eventibus ſecurus, utpotè quæ ſolùm accidere poſſunt obedientiæ ſubjectis, non verò iis qui ad imperandum deſtinati & electi ſunt. O quam pulchra res eſt (dicet fortè aliquis) non tantùm verba, ſed & nutus alicujus obſervari, atque alios ad ejus pedes reverenter proſterni. At verò ô Auditores valde fallimini, ſi ita ſe habere exiſtimatis, abſit ut plumbum aurum, lapides gemmas eſſe putetis, tametſi exterius utriuſq; ſpeciem nonnunquã referant. Sed hoc poſſibile eſt, quod nondum didiceritis diſcernere ſpinas à floribus, aut ab aliis herbis urticas? Certus etenim ſum, vos nunquam regnandi cupidos futuros, ſi quid regnare ſit perſpicuè cognoveritis: porrò David poſt illatam exercitui Amalechitarum crudeliſſimam ſtragem è campo rediens in Siceleg integro biduo ſubſtitit, ubi coram ipſo juvenis quidam Amalechita comparuit, qui genu flexus diadema regium, quod ſe in montibus Gelboe è regio Saulis vertice ſuſtuliſſe dicebat, præſentavit, inquiens: *Tuli diadema quod erat in capite ejus, & attuli ad te Dominum meum huc.* In Scriptura Sacra non legitur Davidem acceptaſſe, vel gratum habuiſſe hoc diadematis oblatum munus, benè tamen exprimitur, quod unum è ſervis ſuis ad ſe accerſitum in eum emiſerit, ut eum trucidaret: *Vocanſque unum de pueris ſuis ait, accedens irrue in eum, qui percuſſit illum, & mortuus eſt.* Enimverò quis audito hoc facto attonitus non obſtupeſcat? Quodnam eſt hoc præmium, quo mors irrogatur ei qui diadema & regnum præſentat? Hæne ſunt gratiæ, quas reges retribuunt? Hæccine ſunt ſtipendia, quæ iis dantur, qui reverentiam & honorem illis exhibent? Optimè hunc remunerandi modum prævidit Eccleſiaſticus, quando dixit: *Pro honore & beneficio reddet illi contumeliam:* Et Tacitus idipſum confirmat dicens: quod ſæpè numero pro gratia odium redditur. Veruntamen ô Auditores, ſi ſtylum & conſuetudinem mundi hujus, & quæ in eo geruntur, attendamus, dicendum eſt, nec Davidem ſe melius habere potuiſſe, nec aliud Amalechitam hunc promeruiſſe præmium, propter verba, quæ ei coronam illi præſentans dixit: *Et locutus eſt mihi, ſta ſuper me, & interfice me, quoniam tenent me anguſtiæ:* Tigurina legit: *Apprehendit me corona.* Verum quidnam coronæ cum anguſtiis commune habent? Si opprimebatur ab anguſtiis, cur ſe à corona invaſum eſſe dicit? Num fortè ideo coronam cum anguſtiis confundit, quia idem ſit corona quod anguſtiæ? Imo verò ô Auditores; dicere etenim Saul volebat: omnes meæ ærumnæ & adverſitates, quas hactenus perpeſſus ſum, & etiamnum patior, ab hac corona ſuam trahunt originem: nihil itaque mirum eſt, ſi David juvenem Amalechitam morte punierit, ſi quidem eo ipſo quo coronam ei deferebat, integrum quendam ei augurabatur anguſtiarum miſeriarumque catalogum: ac proinde Demetrius imperium ſibi offerenti hunc in modum reſpondiſſe ſcribitur: *Ego vero me ad iſtud inextricabile pondus non alligo, nec in altam facem rerum hunc expeditum hominem demitto: quid ad me defers populorum omnium mala*

Eccl. 29.
Tacit. lib. 4. Annal.
Lectio Tigur.
Seneca lib. 7. de benef. cap. 9.

5. Porrò diademata & imperia picturis illis ſimillima ſunt, quæ nil boni in ſe continent prætерquam exterioris apparentiæ vernicem; vel etiam pomis illis, quæ ab iis arboribus producuntur, quæ inter cineres & rudera flammis exuſtæ Pentapoleos enatæ videntur, de quibus refertur, quod intus plena ſint cinere, in ſuperficie autem neſcio quid miræ pulchritudinis oſtentent ob colorem ex auro & purpura mixtum. Lucianus autem diademata & imperia ſtatuis comparat, quæ ingenioſus Praxiteles artificioſo magiſterio è marmore formabat: vidiſſes enim Jovem quendã formatũ à naturali effigie nequicquam differentem, qui cum gravi majeſtate in throno conſidens, & dextra fulmina impugnan-

Pau. Oroſ. lib. 1. cap. 3.
Lucianus.

pugnando cælo, terræque iratus comminari videbatur: deprehendiſſes ſuper Oceano repræſentatum Neptunum quendam barba humida & ſalſos humores ſtillante coma ex ſpumis inargentata, dextram tribus fulminibus loco ſceptri armatam ſuſtinentem; dixiſſeſque eum actualiter tempeſtates profligantem, mariſque malaciam ad patrium littus revocantem ad tranquillandas undas, quæ ex ventorum furibundo impetu intumuerunt. Ab eo elaborati Mercurii adeò proximè ad naturæ lineamenta accedebant, ut eos volaſſe crediſſes, ſiquidem in aëra elevati per ſolam unius digiti extremitatem terræ innitebantur, adeò ut jamjam in cælum remigraturi viderentur ad referenda Jovi terræ nuntia: hæ autem ſtatuæ exterius quidem Deitatem exprimebant, per quam ſpectantium attrahebant & alliciebant oculos; at verò ſi quis oculis præditus fuiſſet lynceis in ſtatuarum harum viſceribus inveniſſet ingentem ferri, plumbi & clavorum copiam. Tales ſunt Principes & Superiores, qui regunt & gubernant, ſi Cornelio à Lapide credimus: *Quorum ſi apparentiam & apparatum inſpicias, nihil fœlicius, nihil Deorum vita ſimilius: ſin verò curas, quibus intus diſcruciantur, nihil calamitoſius.* Porrò ſi Principes & Superiores feneſtram quandam in pectore collocatam haberent, prout omnibus hominibus Philoſophus ille deſiderabat, ehem quot clavi, quot cuſpides, quot ferri & plumbi pondera eos opprimentia & transfigentia inveniremus. Unde Seneca.

*Cornel à Lapide in Num. c. 11. v. 11.*

*Seneca in Oedipo.*

*Quiſquamne regno gaudet? O fallax bonum!*
*Quantum malorum fronte quam blanda tegis!*

6. Etenim ne fortè vobis perſuadeatis hanc eſſe particularem hujus duntaxat Philoſophi opinionem, eidem Euripidem inſuper adjungo, quocum alios facile adducere poſſem, ſed hos brevitatis cauſa prætereo. Dicit igitur Euripides. *Regnum ſpecie quidem externa lætum ac jucundum, intus vero triſte ac moleſtum.* Et meritò, quia regnare nihil eſt aliud quam ſervire; unde quiſquis regit, ſervus potius ſubditorum & ſervorum ſuorum vocari, quam Dominus meretur: ſiquidem nihil Principis vel Domini in ſe præter extrinſecum habet, ac proinde ei adaptari poteſt, quod Poëta ille, qui Princeps principum mundi hujus cecinit, dicens.

*Euriped. ap. Ni. Reuſn. Symb. 12. fol. 43.*

*Vrbanus 8. in Ode Adulatio pernicioſa.*

*Non ſemper extra quod radiat jubar*
*Splendeſcit intra.*

7. Samuel Propheta populum Iſraëliticum divinæ majeſtatis juſſu in Maſcha congregari fecit, cui poſtquam tot exprobraſſet beneficia à liberali Dei manu recepta, nec non deteſtabilem erga Deum exhibitam ingratitudinem dum ſibi Regem conſtitui poſtularunt, tandem eis declaravit complacuiſſe Deo deſideratum illis Regem concedere, qui per ſortem eligatur. Fecitque congregari omnes tribus & familias, eaſque ordinatè diſponi, ſcribenſque ſingulatum nomina urnæ ea impoſuit, dumque inde ſortes extraherentur, egreſſa eſt tribus Benjamin: *Et cecidit ſors tribus Benjamin*, è qua Saul in regem electus fuit: Priuſquam vero ad principale propoſiti mei punctum deſcendam prius obiter vobis referre ſtatui verba quædam quæ S. Gregorius circa hanc electionem ſcripſit dicens: *Sed qui digni ſunt, onus tanti ordinis ſuſcipere vehementer expaveſcunt.* Nec immeritò regimina onera appellat, quia eorum qui regiminis naturam cognoſcunt, mentem pariter & conſcientiam aggravant, atque ideo non tantum illa nulla cum diligentia procurant, quin potius veluti mortem abhorrent & deteſtantur, atque ad illa acceptanda conſtricti expaveſcunt: *Onus tanti ordinis ſuſcipere vehementer expaveſcunt.* Unde ſi qui illa procurant, eadem quoque pro meritò conſiderarent, utique dorſum iisdem verterent, & veluti inſani ab iis fugerent; prouti ad exemplum omnium Salvator noſter in hodierno Evangelio fecit: Veruntamen hæc per modum tranſeuntis dicta ſunto, & revertamur ad ſortem, quæ in electione Regis Iſrael cecidit ſuper tribum Benjamin: *Et cecidit ſors tribus Benjamin.* Tribus itaque Benjamin ad regimen totius regni Paleſtinæ electa fuit. Enimverò originale Hebræum legit: *Capta fuit tribus Benjamin.* Sed quid ſignificat: *Capta fuit?* Credo lectionem Hebræam inferre velle, quod Saul à tribu Benjamin in regem electus factus fuerit omnium ſervus, & velut ſubditorum ſuorum mancipium declaratus. *Captivi dicuntur* (ſcribit quidam Grammaticus) *quod non ſui juris ſint, ſed in poteſtatem aliorum redacti: quoniam autem qui ita capti ſunt, non ſunt amplius ſui juris, ſed libertate privati,* meritò dicere poſſumus, quod qui tanta cum aviditate præeminentias & dignitates ſibi procurant, aliud non ſectentur quam libertatis ſuæ jacturam; & cum liberi exiſtant, velut mancipia in ſervitutem ſe redigere: quod cùm ita ſit, aliud huic verbo *capio* ſignificatum aſſignari poſſe videtur, dicendo quod tales *ſint vere mente capti.*

8. Neſcio profectò, an fortitudo vel quantitas vini quod Noë biberat, fumo caput ejus repleverit, tantamque in oculis ſomnolentiam, & in viſceribus calorem cauſaverit, ut veſtes ſuas ferre, nec pedibus inſiſtere valens, omnibus pannis denudatus eo modo ſupra nudam humum jacuerit, quo fuerat ab utero materno natus, ſiquidem, ut ſcriptura Sacra inſinuat, vinum potatum adeo mentem ejus alteraverat, ut ne quidem tantum e lucidi intervalli indulſerit, ut nuditatem ſuam advertere poſſet: *Bibenſque vinum inebriatus eſt, & nudatus in tabernaculo ſuo.* Verum quid tandem ei accidit? Cum hoc modo denudatum patrem Cham filius ejus deprehendiſſet, poſthabita omni reverentia paterna, ſpretaque boni ſenis exiſtimatione, qui illum, ne ab aliis videretur regere debuiſſet, fratres ſuos, Sem & Japhet advocatos ad locum perduxit, ubi pater ſomno, vinoque ſepultus jacebat, erroris paterni eos conſcios reddens, ſuamque illis nuditatem indicans. *Quod cum vidiſſet Cham pater Chanaan verenda ſcilicet patris ſui eſſe nudata, nuntiavit duobus fratribus ſuis foras.* Cum vero bonus hic ſeniculus expergefactus ea, quæ facta fuerant intellexiſſet, ob acceptam à Cham filio ſuo injuriam graviter indignatus per fulminatam in illum maledictionem ſe vindicavit, dicens: *Maledictus Chanaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis.* At verò inquies: Cum certum ſit errorem à Cham commiſſum fuiſſe: cur igitur maledixit Chanaan? Reſpondet Franciſcus Georgius Venetus, dicens: *Noë ſibi maledixit Chanaan, cujus gratia Cham offenſum, & conſtituit ipſum ſervum fratrum ſuorum, quem ipſe Cham illis indebitè præferre voluerat.* Alii ſubjungunt, quod Noë maledicendo Cham, eique perpetuam ſervitutem imprecando, non ſolum maledixerit ejus perſonæ, verùm etiam omnem ab eo deſcendentem progeniem. Veruntamen imaginari mihi nequeo, quomodo hæc ſervitutis maledictio in poſteris Cham & Chanaan verificari potuerit, cum immediatè poſt hoſce eventus Nemrod ex eadem progenie ortus fuerit, & factus ſit Rex Babyloniæ: ergo maledictio ſervitutis, quam ad ſe trahere debebant poſteri, adimpleta in illis minimè videtur; ſiquidem de Nemrod dicitur: *Cœpit eſſe potens in terra; fuit principium regni ejus Babylon,* regnare autem, & corona ac ſceptro inſignitum eſſe procul abſunt a jugo ſervitutis. Verùm enimvero maledictio illa etiam in Nemrod ſuum eſt aſſecuta effectum: ſiquidem regnare nil aliud eſt quam ſervire, unde mirum non eſt, quod Antigonus

Fra. Georg. Pro. ... (margin notes partly cut off)

Rex, qui idipſum per experientiam comprobaverat, filio ſuo expreſsè declaraverit dicens: *An ignoras regnum ſplendidam eſſe ſervitutem.* *Antigonus.*

9. Moyſes in Geneſi de ſole & luna loquens, utrumque ſidus luminare magnum appellavit: *Fecit* DEUS *duo luminaria magna,* è quibus ille Rex eſt planetarum, hæc verò ſtellarum regina; Sol diem gubernat, Luna vero noctis prædominium habet: *Luminare majus, ut præeſſet nocti.* *Geneſ. 1.* Hæc ſunt duo illa luminaria cœleſtia, quæ inter omnia principatum obtinent, ſuntque ſphærarum cœleſtium principes luce coronati: ac proinde David glorificaturus DEUM, atque inimitabilem operum ſuorum excellentiam magnificaturus, de ſole & luna admirabundus dicit, *ſolem in poteſtatem diei, & lunam in poteſtatem noctis,* quaſi diceret: Sol diei, Luna verò noctis dominium habet: Denique hæc duo luminaria magna inter alia coronam in capite deferunt, & diei noctiſque poteſtatem habentia totum mundum gubernant: verùm advertendum hic eſt, quod ly *poteſtatem* ab aliquibus expoſitoribus *paſſivè* intelligatur, *& non activè,* vel *per miniſterium, & non per imperium,* quaſi Propheta regius inferre vellet: creavit Deus Solem & Lunam, voluitque ut inter omnia cœleſtium ſphærarum lumina principatum obtineant cum hoc tamen pacto, ut Sol *ſerviat diei,* & Luna *ſerviat nocti;* unde S. Athanaſius ait: *Solem in poteſtatem diei, ut eſſet lux illuminans diem, lunam & ſtellas in poteſtatem noctu, ut poſſint illuminare noctem.* Adeoque eorum excellentia & principatus, quem in terra obtinent, in nulla alia re quam in ſervitute conſiſtit. Et quidem ſi adhuc ſervitus illa ſervitus quædam eſſet levis, & facilè tolerabilis, ſuſtineri poſſet: at verò eſt pondus aliquod inſupportabiliter moleſtum & oneroſum, ac proinde Pater Barradas dicebat: *Ad honorem te revocatum exiſtimas, ad onus potius adductum te puta: O onus giganteis humeris formidabile!* cujus rei fidem ampliſſimam Carolus V. Imperator faciet, qui cum eſſet confectæ ætatis, regimen Flandriæ & totius imperii Hiſpaniarum nauſeans, illud Philippo II. Filio ſuo renuntiavit, lachrymaſque doloris ab oculis fundens, ſuoque filio compatiens, hunc in modum eum eſt allocutus: *O fili magnum tibi onus impono, ego enim toto tempore principatus me nunquam quadrantem horæ magnis curis & anxietatibus vacuum habuiſſe memini.* Moyſes quoque princeps, rector & gubernator populi Iſraelitici à DEO conſtitutus fuerat, ac proinde die quadam dolore & mœſtitia plenus oculis

*Felix Praten. Fran. Titel. ibi.*

*D. Athan. in Pſ. 135. fol. 439.*

*Barradas t. 2. concord. Evang. lib. 3. cap. 58.*

præ lachrymis ſtagnantibus in conſpectum DEI prodiit, eique ſuſpirantibus labiis dixit: O Domine non arguit me conſcientia mea alicujus tibi à me illatæ injuriæ, ſemper etenim in præceptorum tuorum obſervantia exactus eſſe ſtudui, aut ſi aliquem defectum commiſi, hic certè ex inadvertentia voluntatis, non verò ex malitia factus erit: Ad hæc noſti me hominem eſſe fragilem, omnibus aliis per omnia ſimilem, & tamen dum tuam conſidero clementiam, non modicæ admirationis cauſam mihi dari video: experior enim valde te mihi iratum eſſe, qui non ſum aliud quam terræ vermiculus, tuus tamen fidelis ſervus: ad minus dicito mihi, in quo erraverim, & contentus ero: *Cur afflixiſti ſervum tuum?* (*Num. 11.*) Ergone fieri potuit ut poſt tantam tibi exhibitam ſervitutem nequaquam tuam lucrari potuerim gratiam? *Quare non invenio gratiam coram te?* Veruntamen ô Moyſes breviter edicam, qua ratione idipſum intelligam: dum enim de DEO lamentaris, canem qui lunam allatrat imitari videris: conſtat etenim quod DEUS tibi concedat quidquid deſideras, nec capillum unquam tibi læſerit, quorſum igitur tanta lamenta à te adverſus DEUM ſparguntur? Crede mihi quod lamentando multum a recto aberres. Nihilominus quia te mæſtum video, curioſitate & deſiderio ſciendi teneor, quamnam unquam à DEO tuo receperis moleſtiam, recenſe illam mihi, hacque me curioſitate libera, forſitan bonum mihi incidet conſilium tibi in conſolando non importunum: audite ô Auditores qua de re conqueratur Moyſes; dicit igitur: (*Ibidem.*) *Cur impoſuiſti pondus univerſi populi hujus ſuper me?* Itane Moyſes, hæccine eſt lamenti tui cauſa? DEUS te honorat, dum caput populi hujus te conſtituit, & tu doles? Imperio te præficit, & tu dicis ipſum te affligere? Superiorem te omnibus conſtituit, & tu inde mæſtitiam & dolorem concipis (Imò verò, hæc unica eſt doloris & afflictionis meæ cauſa, quod videlicet inſupportabili onere me gravarit: nihil enim aliud audio, nihil video niſi moleſtias: nullus apud me cibus proficit, totas noctes inſomnes ago, nec oculum claudo, nulla mihi ſuppetit hora, imo ne momentum quidem quietis; non poſſum amplius regere, nimio etenim faſtidio teneor ut ſim quaſi deſperatus; (*Ibidem.*) *Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum, quia gravis eſt mihi.* Juſtam habes Moyſes lamentandi cauſam, ac proinde vere tibi compatior, ſiquidem eſſe ſuperiorem & ſubditos gubernare, pondus eſt incredibiliter grave. Ac proinde S. Greg. M. dicebat: *Quanto quis altius erigitur, tanto cum gravioribus oneratur, iiſque ipſis populus mente & corpore ſupponitur.* Verum enimvero replicabit nonnemo dicendo, experientiam longe aliud docere, ſiquidem quotidie videmus, quod dignitates ſummo ſtudio affectentur, omneſque aliis imperare ambiant, & qui in dignitate ſunt conſtituti, adeo illam gratam habent, ut ad eam deſerendam diſponi nequaquam poſſint, imo diſplicet illis dum finiuntur, quod non ſint perpetuæ. Reſpondeo nec ſine dolore, talem nos ætatem devivere, in qua dignitates & honores grato quidem animo acceptantur, quæ autem annexa habent onera, aliis committuntur. Eligitur quod utile eſt & commodum, moleſtiæ autem & gravamina aliorum humeris imponuntur.

10. Quotquot ejuſcemodi ſunt, ad minus ſaltem periculum in quo degunt ob oculos poſitum habere deberent: Quis etenim neſcit, quod ab altitudine culminis præcipitia menſurentur? *Evectio, everſio eſt*, ait quidam eruditus. Ubi opportunè mihi incidit, quod Rupertus Holcot de balæna recenſet & confirmat Pierius, ſcilicet quod hæc maris bellua in mari firma conſiſtens, procul poſitus ſcopulus vel mons aliquis eſſe videatur, unde Naucleri ex itineris gravitate fatigati atque in terram firmam exſcendere cupientes vela contrahunt, anchoram ejiciunt, navem ſiſtunt & ſuper Balænæ corpus ſeſe recipiunt, in terra, vel in ſcopulo quodam conſtitutos ſe eſſe credentes, cibo ſe refocillare incipiunt, quem ut ad ignem præparare & coquere poſſint, ligna dividunt & igni adaptant: at vero mox ut monſtrum hoc marinum ſe in dorſo gravari & moleſtari ſentit, movetur & in mare ſe demittendo omnes pariter ſubmergit: *Beſtia in mare ſe ſubmergit, & cum ea omnes illi in profundum feruntur.* Verum audite applicationem propoſito noſtro convenientiſſimam. *Hæc beſtia mundanam dignitatem poteſt ſignificare: hanc ſimplices navigantes in mundo deſiderant, æſtimantes ibi eſſe locum ſoliditatis & quietis, putantes ſe fore fœlices, ſi ſtatum hujus mundi aſſequantur, ſed cum jucundius ſe habuerint, pacem & ſecuritatem ſolummodo cogitantes, ſupervenit interitus repentinus, & deſcendunt in infernum, priuſquam aſcendant talem gradum.* Porrò Tertullianus obſervat, quod cum filius DEI inſidias quas dæmon diſcipulis ſuis machinabatur, videret, eos animare volens ad Petrum converſus ei dixerit: *Ego rogavi pro te Petre.* Quaſi diceret: Macte animi ſis Petre,

omnē-

omneſque Sathanæ vel inferni machinas vel technas nequicquam timeto, Ego enim haſce omnes profliciens patrem æternum *pro te rogavi Petre.* Quid audio? Ergone pro ſolo Petro oras ô Domine? Videtur hæc mihi magna nimis partialitas eſſe: nunquid enim alii diſcipuli æque tibi chari ſunt ac Petrus? Meritò itaque pro omnibus, & non ſolum pro uno rogare debebas: *Rogavi pro te Petre.* Reſpondet Theodoretus, quaſi diceret: *Petit ſathanas te lædere, quaſi invidens tibi de mea dilectione*; at vero potiſſima ratio eſt, quam Theophylactus adfert, dicens: Petrus in culmine dignitatis poſitus, omnibuſque aliis prælatus erat, & conſequenter in majori hærebat periculo, ejuſque lapſus plurimum fuiſſet perniciosus; atque ideo cum tanquam caput tentationum diabolicarum ventis præ omnibus aliis exponendus erat, ideo filius DEI pro omnibus quidem rogavit, non eſt dubium, ſpecialiter vero pro Petro, quia tanquam ſuperior in majori periculo erat ne à dæmone in præcipitia deturbaretur. Credite idipſum Tertulliano dicenti: *Qui præſunt, majori periculo patent, ſiquidem Dominus in Evangelio ad Petrum ait: Ego rogavi pro te*; cui opinioni Dionyſius quoque Carthuſianus conſentit dicens: *Nec dubium quin pro aliis quoque electis Apoſtolis, Chriſtus ſimul rogaverit, ſed idcirco hæc ſpecialiter loquitur Petro qui inter Apoſtolos principalior, & quoniam in majorem tentationem fuerat lapſurus, ac magis ruinæ.*

Tertul. de fuga in persec. Dionyſ. Cart. in c. 22. Luc. art. 48. fol. 236. col. 1.

11. Dæmon advertens quod in deſerto in primo inſultu quo filium DEI aggredi cœpit, confuſus & pudibundus remanſit, novos dolos, novaque ſtratagemata adinvenit; ſiquidem in locum quendam eminentiſſimum templi eum conduxit: *Duxit eum ſuper pinnaculum templi*; ſed quo fine in hanc uſque celſitudinem deportatur? Num fortè alia ſublimiora in civitate loca deerant? Cur non potius ſuper palatium cujuſdam Principis? Num fortè id fiebat, quia Chriſtum utpote hominem ſanctum ad eum locum ſecuturum non fuiſſe providebat? Porrò multi graves ſcriptores, ſcilicet S. Anſelmus, Dionyſius Carthuſianus, Albertus M. Hugo Cardinalis, S. Bonaventura, præcipuè vero SS. Remigius & Paſchaſius dicunt, hoc pinnaculum templi locum quendam eminentem fuiſſe ſuper quo poſita cathedra erat Doctorum, ex qua gentibus legebant & exponebant ſcripturas: *Sedes Doctorum ſupra pinnam templi erigebatur, ut exinde quaſi in eminentiori loco poſitus Doctor ad populum loqueretur.*

Matth. 4. Anſelmus. Dionyſ. Carthuſ. Alb. M. Bonavent. Hugo. Remigius. Paſchaſius ibid.

Hic igitur dæmonis obſervate aſtutiam; vix ipſum ad illam uſque ſublimitatem & dignitatem doctoralem extulerat, cum ecce mox eidem præcipitia perſuadet, dicendo ei: *Mitte te deorſum*: quaſi inferre vellet aſtutus adverſarius, celſitudines præcipitiis proximas eſſe, eumque qui ad honorem & imperiorum culmen aſcendit, lapſibus & ruinis eſſe vicinum; & hæ ſunt technæ & ſtratagemata diabolica, ut ſcribit Paſchaſius, dum ait: *Ducit eum ad altiora, & uſque ad ipſum faſtigium templi, ut ex hoc daretur indicium, ad quid elevet unumquemque, qui deorſum præcipitare deſiderat.* Ehem quot ſunt, qui in humili fortuna probi ſunt & boni, & tanquam ſubditi ſancte vivunt? at vero ſi poſtea ad aliquam dignitatem ſublimentur, præcipitantur in ſcelera, omnem ſibi in quodvis iniquitatis genus licentiam datam eſſe arbitrantes: de quibus cum B. Petro Cardinale Damiano dicere poſſum: *Decurrentium more fluminum ad ima abſque ullo retentionis obſtaculo devolvuntur*: de quibus verificari poteſt quod Caligula de certo quodam Imperatore affirmavit, dum ait: *Optimum ad imperandum fuiſſe niſi imperaſſet.*

Petr. Damianus t. 2. ſer. 1. Mendoz. t. 2. lib. 1. Reg.

12. Soleat SS. Patres ad conciliandam, quam Sancti Apoſtoli Jacobus & Joannes à Salvatore paſſi ſunt repulſam, quando Mater eorum nomine, hunc ab eo favorem popoſcit: *Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dextram, & unus ad ſiniſtram in regno tuo.* Solent, inquam, hunc in finem mille expoſitiones in medium adducere. Dominus etenim non ſolum eos non conſolatur, verum inſuper ipſos reprehendit, dicendo: *Neſcitis quid petatis.* Num forte ſedere deſiderabant ſicuti Chriſtus, ut S. Thomas explicat dicens: *Nomine ſeſſionis quies intelligitur, quaſi quieſcere voluiſſent antequam laboraſſent?* Amabo vos, Auditores, veſtra mihi venia liceat hujuſce difficultatis reſolutionem nonnihil ſuſpendere, donec aliam ſimilem propoſuero. Moyſes in Geneſi de magno illo Enoch ſervo DEI loquens hæc verba effatus eſt: *Ambulavit cum DEO, & non apparuit, quia tulit eum Dominus.* Quidnam ſignificare voluerit per ly, *non apparuit?* Septuaginta explicant dicentes: *Non inveniebatur*? Idipſum pariter confirmat S. Paulus Apoſtolus, dum ait: *Fide Henoch translatus eſt ne videret mortem, & non inveniebatur.* Summa cum diligentia atque à viris multis Enoch requiſitus fuerat, ipſe autem abſconditus latebat ne inveniri poſſet. Veruntamen ſcire percuperem, quo fine fuerit inquiſitus, & cur DEUS illum ſecretè ab oculis hominum ſubduxerit, & in paradiſum terreſtrem

cap. 8. adnot. 32. ſect. 1. n. 5. Matt. 20.

D. Tho. 3. p. q. 58. a. 1. in corp.

Gen. 5.

Hebr. 11.

occultarit? Quod ad primam quæſtionem attinet, reſpondet Genebrardus, quod inquirentes eum ſuperiorem illum conſtituere, gentiumque gubernationem committere voluerint: *Non apparuit utiq; tanquam requiſitus ad ſupremum officium.* Agedum igitur ô Pater (ſic vos me alloquentes audire videor) abundè intelleximus, quidnam inferre velis, nimirum quod fugerit ne ad imperium aſſumeretur. Veruntamen nihil in hoc eximium elucet, ſiquidem Sancti vitam agere privatam volunt, ut eò melius & quietius Deo ſervire poſſint; unde S. Thom. de Aquino Archiepiſcopatum Neapolitanum recuſavit. S. Philippus Nereus Cardinalatum renuit; Petrus Cœleſtinus Papatui ceſſit: Beatus Philippus Benitius ob rumorem quendam tempore ſedis vacantis in Urbe ſparſum, quaſi aliqui Cardinales eum ad pontificatum extollere vellent, Roma fugit: Veruntamen ô Auditores, licet hoc ſolum dicerem, non tamen videri deberem de S. Enoch parum dixiſſe, at verò ſpero quod mox audituri ſitis ſpeculationem quandam vobis minimè futuram ingratam: Deus enim eum in paradiſum terreſtrem tranſtulit: *Tranſtulit eum Dominus.* Syriaca legit: *Eſtanni,* quod ſecundùm Cornelium à Lapide idem eſt, quod *Tranſtulit eum Dominus in meliorem ſortem, & ſtatum.* Verum inquies: Quænam ſors melior Enocho obtingere potuiſſet, quam ſi Rex factus fuiſſet? Quis enim ſtatus fœlicior excogitari poteſt, quam ſe quovis alio ſuperiorem, omnibuſque aliis imperantem videre? Et tamen dicit Syriacus: *Eſtanni,* id eſt, *Tranſtulit eum Dominus in meliorem ſortem & ſtatum:* Verum quæ tua eſt ſors melior aut ſtatus fœlicior regno, quod Deus Enocho contulerat? Paradiſus terreſtris, in quo ſecurè conſervatur uſque ad noviſſimum judicii diem, Antichriſti adventum expectans, cujus manibus atrox experietur martyrium. *Aſſervatur in paradiſo ad finem mundi, dum homines ab Antichriſto deceptos ad vitam revocat ab eo immaniter trucidandus* Hiccine igitur eſt ſtatus quovis regno melior? hæccine eſt ſors quavis poteſtate & imperio fortunatior? Ergone Deus eum ex eorum manibus, qui eum regio diademate redimire quærebant eripit, eumque ut ab impientiſſimo Antichriſto crudeli morte enecetur, induſtriè conſervat? Imo vero: Et quidem per hanc ſacram hiſtoriam indicare nobis vult Spiritus S. longe meliorem & feliciorem ſortem Martyrium quam regnum eſſe; longeque deſiderabiliorem ſtatum eſſe ejus qui in Theatro aliquo publico ſedet, & denudato collo carnificis ictum expectat, ut mortem pro amore Dei ſuſtineat, quàm ſit conditio illius, qui purpura veſtitus, atque in throno regio glorioſè reſidens, Imperii ſceptrum ſuſtinet, ſuoſque ſubditos pro homagio reddendo pedibus ſuis advolutos videt *Certè non obſcurè videtur innuere quam amicè, quam benignè cum eo Deus ſe geſſerit, quem ut eriperet è manibus eorum, qui ipſum ad regni faſtigium quærebant, in ſævientis Antichriſti manus non ſecus, ac in ferociſſimi leonis ungues, transferre non dubitavit,* concludit Pater Joannes Antonius de Abula. Quidnam obſecro eſt quod Jacobus & Joannes à Chriſto poſtularunt? *ſedere in regno:* Ubi S. Thomas dicit; quod *nomine ſeſſionis intelligitur regia, & judiciaria poteſtas, & deſiderabant ſedere Iacobus & Ioannes.* Unde cum Chriſtus cognoſcat, quam regnare grave ſit & periculoſum, mirum non eſt, quod reſponderit. *Neſcitis quid petatis.* Quaſi diceret, ut explicat Paulus de Palatio: *Si ſcirent homines quantum ſit in prælatione periculi, nemo prælatus eſſe vellet: Neſcitis igitur quid petatis, creditis vos petere honores, & petitis ſummum onus, ſummum periculum*

Genebr. lib. 1. Cronol.

Syriaca. Cornel. à Lap. in c. 11. ad Heb.

Arethas in cap. 11. Apoc. Hi. Martin. Delr. in cap. 5. Gen. nu. 2. Auguſt. lib. 2. de gratia con. Pelag.

13. Dilecta ſponſa à ſponſo ſuo cœleſti vocata erat, cùm enim illam non ſolum videre, verum etiam muneribus aliquibus afficere & honorare eam ſtatuiſſet, ideo probe ſciens eam montis Libani habitatricem factam fuiſſe, ut pulchritudine florum & ſuaviter ibidem ſpirantibus auris frueretur, ideo elata voce eam, ut inde recedens ad illum ſe reciperet, inclamavit, dicens: *Veni de Libano ſponſa mea.* Ipſa autem ſive quia non audivit, ſive quia audire noluit, ei non reſpondit, nec loco ſe movit. Sponſus cauſam hujuſce taciturnitatis penetrare non valens, vocem ſuam ad ejus aures minimè perveniſſe exiſtimavit, ideo iterata vice & voce fortiori ac validiori eam ut veniret invitavit: *Veni de Libano,* quaſi diceret: Ergone ô ſponſa non audis? Rogo te ut montis Libani amœnitatem deſerere te non pigeat, veni igitur: nam cum Deo tuo omnibus perfrueris delitiis imaginabilibus, in meo horto delitiarum flores colliges longe pulchriores, fragrantioreſque, quam in tuis invenire valeas. Qui enim in monte Libani videntur, vix etiamnum nati ſunt, cum ecce in ſtylo materni ſinus mox langueſcentes deficiunt, quos autem in meo delitiarum horto reſervo, prorſus ſunt immarceſcibiles: *Veni* igitur ad hoſce flores colligendos, ut iis vel comam tuam exornare, aut ex iis faſciculum quendam ſive manipulū facere poſſis,

[illegible]que ſinui tuo inter ubera immittendo, tranquilla inter ſe pace decertare facias Veris jucunditatem, & nivium candorem: Sponſa autem haud ſecus ac ante ſe nihil audire ſimulavit, ſeque quodammodo faſtidioſam ſive moroſam exhibuit ne dicam incivilem aliquantulum & inurbanam. Sponſus econtra nec quicquam inde indignatus, invitatorium *veni* tertia vice repetiit, quaſi diceret: Huc adſis ô Sponſa, quid moraris diutius ô ſpecioſa mea. Num fortè ea quæ tibi purpura veſtitæ in vultu reſidet modeſtia, tibi perſuadet & conſulit ne mihi reſpondeas? aut quia puellarum gynæcei tui converſationi aſſueviſti, meam converſationem dedignaris? Nunquid ego dilectus ſponſus tuus ſum? Agedum igitur propera ô dilecta mea greſſibus tuis tandem aliquando ad me accelerare non differ, procul abſit omnis tardior mora, accurre ad DEUM tuum, qui ut muneribus te locupletet, ad ſe te invitat; Et tamen ſuaviſſimâ hâc invitatione toties repetitâ non obſtante, nihil ipſa reſpondet, nec vocem ejus audit, aut licet audiat, tamen non audire fingit. Quod penitius me [illegible] conſiderans attonitus obſtupeſco & hæreo [illegible] ſponſam moveat, quod adeo ſe ſponſo ſuo moroſam & inobedientem exhibeat; cum tamen aliàs dicere ſolita fuerit: *Anima mea liquefacta eſt, ut dilectus meus locutus eſt!* Sponſus quoque in hoc gloriari conſueverat, quod ſciret verbum ſuum tantam in ſe activitatem habere, ut quidam cordium noſtrorum magnes [illegible] videretur: *Sibilabo eis, & congregabo eos.* Zach. Unde Stephanus Cantuarienſis ait: *Quaſi ſolo ſibilo opus ſit, non prædicationis tuba.* Stephan. Unde igitur [illegible] quod ſponſa tam benignas atque amabiles Domini ſui invitationes, vel non curet, aut [illegible] attendat. Verum enimvero ô ſponſa [illegible], quam es tu ſapiens; utique ſi alius te [illegible] incautam arguere & reprehendere præſumeret, ego te velut prudentem defenderem atque tutaret. Verè etenim dilecti tui invitationibus minimè quieſcens, prudentem te eſſe probaſti, ſiquidem ipſe coronam opulentiſſimam, gemmis & unionibus pretioſiſſimis copioſè diſtinctam vertici tuo imponere, tuamque comam [illegible] redimire, teque Reginam declarare ſtatuerat dicens: *Veni. Coronaberis. Coronaberis?* inquit ſponſa, idipſum neutiquam circa me fieri permittam; Ignoſce mihi ô mi cæleſtis ſponſe, potius enim alicujus inurbanitatis argui, & quaſi alicujus inobedientiæ notam incurrere, quam Coronas in caput meum admittere, aut dignitates acceptare decrevi; Diademata mihi nequaquam ſerviunt, nolo illa, ac proinde aliis illa cedo, ſunt etenim onera nimis gravia & inſupportabilia, quæ ſecum ſubinferunt, ſunt denique celſa cacumina, quæ proxima comminantur, valdeque periculoſa præcipitia. *Quomodo ergo hoc in loco non ſemel ſed tripliciter repetitio, veni, obſequentiſſimus ſponſæ animus indiguit, ut non tam ſponte ipſa venire, quam renitens trahi adducique videatur: vis ſcire? Audi quid ſponſus, cum vocavit adjecerit, veni coronaberis: Nimirum ad coronam, & ad regii ſplendoris & prælationis faſtigium evocata, non contumaciter ſed prudenter venire metuit, quæ lapſus periculum non ignorat.* *Abul. c. 3. in Ep. ad Philip. v. 8. ad n. 6. num. 3.*

14. Quiſquis conſtitutus eſt ſuperior alterius, ut ei ſuperintendat, à S. Gregorio Nazianzeno, hiſtrionibus ſeu funambulonibus haud ineptè comparatur: Nullatenus dubito, quin ſæpius in platea aliqua extenſum ab una ejus parte uſque ad aliam quendam ex cannabe contextum groſſum funem videritis, in quo cum non modico circumſtantium ſtupore funambulo liberè & imperterritè ambulat & ſaltat, non tam ut univerſalem à ſpectatoribus reportet applauſum, quam ut egregium ſibi in moneta comparet lucrum, ad cujus tinnitum, in convexo funis illius tanta cum ſecuritate ſaltitat, ac ſi pavimento terræ inambularet. Nunc enim inſtar Capitanei cum haſta ſeu lancea graditur ab uno funis extremo ad aliud; Nunc capite ſe dimittit deorſum, atque ex manibus ſuſpenſus remanet: mox dexteritati vires adjungens in funem denuo ſeſe erigit; paulò poſt velut alter quidam Abſalon ex capillis pendulus immobilis ſubſiſtit; Mox in aëra ſe librat haud ſecus ac ſi alata quædam avis eſſet, & abſque ullo gradientis pedis errore in funem ſuum revertitur; Nullus eſt, qui eum non reſpiciat attonitus, & ſæpè tremulo corde vereatur, ne paulò poſt in eodem renovari videat Icari & Phaëtontis caſus. Hic jocus vel ludus mimicus talis naturæ eſt, ut cum delectatione pariter tremorem incutiat, utpotè cujus accidentia inſeparabilia lapſus ſunt atque ruinæ. Et huic eidem ludo à Magno Nazianzeno ſuperioritates comparantur; quiſquis enim gubernat, in fune velut funambulo conſtitutus eſt; quiſquis ſuper alios eminere iiſque imperare ambit, in manifeſto eſt imminentis lapſus periculo, & priuſquam cogitet præcipitatur: *Quemadmodum ſublimi & pendulo fune gradientibus, hac vel illac deflectere minimè tutum eſt, nec quamlibet* *D. Greg. Nazianzenus orat. 1.*



*parva*

*parva inclinatio parvum periculum affert : Ad eundem quoque modum utramvis in partem quiſpiam ſive ob vitium, ſive ob imperitiam propendeat, haud leve periculum tum ipſi tum ſubditis imminet.* Lucifer vix etiamnum creatus cum ecce ſurſum in Empyreo hunc ludum tentare voluit & experiri, quando ſe ad omnia dexterrimum, vivacem, valdeque levem eſſe conſpiciens, primos ſuos greſſus per ambitionis chordam ſive funem movens, ſaltum quendam facere voluit, ad ſuperioritatis ſive ſupereminentiæ excellentiam ſeſe erigere conatus, cum ecce tanta cum velocitate deorſum lapſus eſt, ut deficiente in eo pede humilitatis ab altitudine cœli Empyrei in profundum præceps dejectus fuerit inferni. Unde Iſaias eum veluti deridendo & exſibilando ei
*Iſaiæ 14.* dicere non dubitavit : *Quomodo cecidiſti de Cælo Lucifer, qui mane oriebaris?* Audite lethales ejus periculoſiſſimos ſaltus, quos facere meditabatur, ſupra omnes namque Angelos ſublimari, omnibuſque poteſtative imperare, omneſque ne Deo quidem excepto pedibus ſuis advolutos deſiderabat : *Qui dicebas in corde tuo: In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti in lateribus aquilonis;* Vix autem paſſum aliquem movet, quin ſibimetipſi caſus minitetur valde pernicioſus: *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo;* verum ecce tibi eum protinus & ex improviſo præcipitatum : *Veruntamen ad infernum detraheris, in profundum laci.* Ecce tibi, quod ſuperioritatem ambiendo comparaſti miſerum lucrum, qui ſi in qualitate & conditione ſubditi conſtanter permanſiſſes nec ſuperioritatem ambiviſſes, tantam tibi perniciem non acceſſiviſſes:
*D. Baſil. orat. 23.* *Lucifer ad naturam talem evectus dignitate, excidit per mentis altitudinem de dignitatis altitudine deturbatus,* inquit Baſilius magnus ille Seleucus. Dentur igitur primatus illis qui eos deſiderant & ambiunt; meo namque judicio coronæ non tam capiti ſuperimponi, quam pedibus calcari debent; Quiſquis imperare ambit, per me pro voto ſuo, quod cupit obtineat, neque enim illi imperium invideo, imperet quiſquis imperare prætendit; ad me ſaltem quod attinet, ita ſtatuo, quod ſcilicet ne veluti data opera, in imminentia nos proturbemus pericula & præcipitia, precibus ferventiſſimis pulſandum ſit cælum, ne me ex quieto ac tranquillo ſubditi ſtatu ulla ratione dimoveat, utpote in quo libentiſſimè perſeverabo uſque ad mortem; eo ipſo enim quo ſubditus, nequaquam ſervus ero, tametſi ſi mihi inter ſuperioris & ſervi conditionem eligendam optio eſſet, ſervus & mancipium potius, quam ſuperior eſſe eligerem; Hæc quidem mea eſt animi ſententia, a qua me nunquam receſſurum eſſe exiſtimo, nemo id credit, niſi qui quid ſuperiorem agere importet, ipſemet experientia comprobavit. Unde Philoſophi illius generoſitatem valde laudo & opprobo, qui per plateam incedens, & coronam quandam regiam in terram delapſam inveniens, nequidem ſe inclinare pauliſper dignatus eſt ad illam è terra levandam, ſed dicebat: *Accipiat te qui te novit.* Et Seleucus Rex coronam è capite ſuo depoſitam manu oſtentans, ductis altis è corde ſuſpiriis verbiſque per ſuſpiria dimidiatis, extenſa in coronam minaci dextera, hunc fere in modum locutus fuit. O utinam omnibus notæ atque perſpicuæ eſſent illæ, quæ ſub hac Corona latent miſeriæ, utique nullus eam in luto jacentem videns de terra levaret in altum. Et tamen hodie tot reperiuntur, qui ad aratrum potius quam ad ſceptrum tractandum & moderandum, ad ovium potius cuſtodiam, quam ad ſubditorum imperium apti eſſe noſcuntur, qui tamen ab arrogantia & temeritate propria ſeducti atque perverſi ſeſe optimis meliores eſſe exiſtimantes favores ſibi aucupantur, ut iis mediantibus quo per propria merita pertingere nequeunt, alieno merito infallibiliter aſſurgant; verum cum verum ſit antiquum illud proverbium quo dicitur: *Magiſtratus virum oſtendit*, quanto ad altiores honores evehuntur, tanto inhabilitatem & ignorantiam ſuam accidentibus demonſtrant, fiuntque miſeri ſimiæ imitatores. Porro unigenitus Dei Filius, licet coronarum tractandarum & moderandarum expertiſſimus eſſet, eas tamen conſtanter fugit ſemper & recuſavit: *Cum cognoviſſet, quia venturi erant ut raperent eum, & facerent eum Regem fugit in montem ipſe ſolus.* Et hic quidem ſtylus mundi eſt ordinarius, quod videlicet ii qui honores vel maximè merentur, eoſdem fugiant; qui vero vel ob ignorantiam, vel propter morum improbitatem iis ſeſe indignos reddunt, illos ſibi per quævis etiam illicita media adſciſcere alloborant. Plura in hanc rem dicerem; verum pauperes nimis cupide eleemoſynarum veſtrarum præſtolantur ſubſidium. Vos interim iis ſubvenite, ego vero pauliſper quieſcendo ſubſiſtam.

PARS

## PARS SECUNDA.

15. OMnia quidem Evangelia myſteriorum ditiſſima ſunt; hodiernum tamen iiſdem præ cunctis aliis eſt refertiſſimum; ac proinde operæ pretium haud dubiè erit, ſi eadem cautim & paulatim maturius conſideraverimus, inde quæ optima animabus noſtris curandis documenta eliciamus. In primis igitur filius Dei *abiit* Hieroſolyma. Ratio eſt juxta Dionyſium Carthuſianum, ut ſe ſubduceret furori Judæorum, quorum animi in eum concitati & exacerbati erant: *Cedens perſecutioni Iudæorum, ne ante tempus præfixum ab eis occideretur.* Et quidem per hoc pariter demonſtrat, prudentis hominis eſſe violentiæ cedere, faciendo ex neceſſitate benevolentiam, vel donando (ut dicere ſolemus) quod retinere non poteſt. Porrò alii dicunt ut Toletus, *Abiit ſævitiæ tyranni cedens*: vel *Hominem ſe* [illegible] *verum demonſtrans*, aſſerit Toletus, adverſus opinionem eorum, qui filium Dei non humanum & naturale, ſed aëreum & phantaſticum corpus aſſumpſiſſe credebant. Unde deduci facile poteſt, quam imprudenter faciant illi, qui in intellectu ſuo circa articulos fidei mille confingunt Chymæras & Phantaſias, ſuamque mentem in fidei obſequium captivare renuunt.

16. Eumtem autem ſequebatur ingens, imò innumerabilis hominum multitudo: *Et ſequebatur eum multitudo magna*, concitata deſiderio videndi miracula quæ faciebat: *Quia videbant ſigna quæ faciebat ſuper his qui infirmabantur:* alii verò ſequebantur eum ad impetrandam corporis ſanitatem, animæ ſalutem nec quicquam curantes. *Hac de cauſa ex oppidis circum vicinis multi ad eum confluebant, ut ſanarentur à ſuis infirmitatibus*, inquit Toletus: *utilitate enim corporis magis quàm animæ iſta multitudo concurrebat.* Alii verò neceſſitate adacti eum ſequebantur, futurum ſperantes, ut de pane eis proſpiceret. O quot ſunt hodie qui ad Deum confugiunt, eumque ſequuntur propter intereſſe, non quia Deus eſt, ſed quia ejus ſubſidio opus habent: *Multi hodie ſequuntur Chriſtum, non quidem propter ipſum, ſed magis, ut de panibus ejus manducent*, inquit Guilielmus Pariſienſis: In quorum numero ii quoque comprehenduntur, qui poſtquam mundo, Diabolo & carni diu ſervierunt, tandem Religioſum aliquem habitum aſſumere ſtatuunt, ſive ad illam penſionem obtinendam, ſive ad impetrandum hoc beneficium. Id quod S. Patrem noſtrum Auguſtinum permovit ut diceret: *Vix quæritur Ieſus propter Ieſum.* Unde cum Seneca de talibus dicere poſſumus: *Prædam ſequitur turba iſta non hominem.*

*Auguſt. tract. 25. in c. 6. Io. Senec. lib de remed for.*

17. Dionyſius Carthuſianus opinatur hanc turbam Chriſtum inſecutam fuiſſe, illectam à majeſtate vultus ſui, ſuique ſermonis mira ſuavitate attractam: *Quoniam Dominus Ieſus et iam ſecundùm corpus ſpecioſus valdè & eloquentiſſimus fuit. & optimæ habitudinis, veriſimile eſt quod multi ſequebantur eum delectati ſpecie & eloquentia ejus.* Scitiſne quænam ſit cauſa, quod Deum voluntatis noſtræ affectu non proſequamur ſuper omnia illum amando? quia non delectamur oculis intellectus noſtri infinitam ejus contemplari beatitudinem: neque nos à ſuavi divini verbi ſui energia vel ab immiſſis nobis inſpirationibus attrahi ſinimus, eo quod aures ei porrigamus, nec corda noſtra illi aperiamus.

*Dionyſ. Carth. ibid. l. C.*

18. Chriſtus elevatis oculis turbam proſpicit, eamque famelicam eſſe videns pietate motus, eidem ſubvenire decrevit: *Cum ſublevaſſet oculos Ieſus, & vidiſſet &c.* Porrò in Deo videre & providere ſynonyma ſunt. Cæleſtem atque divinam hanc Politicam addiſcant quotquot ſuperiores exiſtunt. Non enim ſolum miniſtrorum ſuorum relationi inſiſtant, ſed ipſimet abeant & videant, ſic enim ceſſabit omne deceptionis periculum, nec præſument Principum miniſtri Dominis ſuis, vel Commiſſarii Prælato album pro nigro, & verum pro falſo inculcare & perſuadere: Contingit enim ſæpe ſubditos fame interire, & tamen Principibus perſuadetur, quod ſint in Apolline, & *ſuper ollas carnium.* Qui ſi oculos ſuos aperirent, nec ſemper obdormiſcerent, *ſi ſublevarent oculos, & viderent*, aliam ipſorum regimen faciem referret, nec adeo affligerentur ſubditi, aut miniſtri è facultatibus pauperum tantas ſibi acquirerent divitias.

19. Filius Dei ad Philippum converſus, eundem qua ratione tantæ hominum multitudini exſaturandæ ſufficiens procurari annona poſſit, interrogat: *Dicit ad Philippum; unde ememus panes, ut manducent hi?* Ad Philippum? *Non eſt alienum conſiderare quare ad Philippum*; Nunquid interrogare poterat Petrum, Bartholomæum, Joannem? Cyrillus Alexandrinus, Philippum ſatis docilem, valdeque diſcendi cupidum & avidum fuiſſe reſpondet: *Libenter Philippus dicebat, quærebatque ſæpius, ſed non erat adeo acutus, ut altiora poſſet intelligere.* Aut dici poteſt Chriſtum obſer-

*Cyril. Alex. ib. lib. 3. c. 12. p. 155. l. C.*

obſervaſſe Philippi diffidentiam, quam & manifeſtavit, dum ait: *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt ut unuſquiſque modicum quid accipiat.* Ideoque eum interrogaſſe de modo quo turbæ huic de pane proſpici poſſet, non quod ipſe modum id faciendi ignoraret, ſed ut ipſum ad agnitionem & emendationem erroris ſui per duceret: *Tentat Deus juſtos, ut ſuos agnoſcant defectus, & eos corrigant.* Quiſquis enim Zelo honoris Divini, & ſalutis animarum ardet, ex charitate obligatur hoc Chriſtianæ charitatis munus exhibere ei, qui peccato immerſus reperitur, ut ab errore ſuo reſipiſcat.

Phi. Diez p. 4. Dom. 4. Quadr.

20. Quid autem Philippum interrogat? *Unde ememus panes, ut manducent hi?* Non dicit: *ut manducemus ſed ut manducent hi* Hic etenim verus eſt Civitatem, Diœceſin, vel Statum aliquem gubernandi modus, non eſſe de ſe ſollicitum, nec proprio commodo, ſed ſubditorum utilitati duntaxat intentum. O quot hodie reperiuntur Principes, qui eo tantum fine Conſiliarios ſecum habent & adhibent, ut ſcilicet cum illis conſiliando deliberent de modo congruo & facili, per tot gabellas & datia panem ex ore pauperum eripiendi, non ſolum, *ut manducent, ſed ut devorent?* ludos ſuos ex pauperum continuant marſupio, Mimos & Hiſtriones pauperum pecunia veſtiunt, & lucra ſive mercedem diurnam victui quotidiano acquirendo (qui laborum & ſudorum quædam eſt veluti quinta eſſentia) neceſſariam iiſdem ſubtrahendo, cauſa ſunt, quod vili pretio ab iiſdem vendatur honeſtas, & proſtibulorum habitatrices evadant.

21. Enimvero quodnam eſt Philippi ad Chriſti interrogationem ſubnexum reſponſum: Magiſter, ait, ſunt hic præſentia aliquot famelicorum hominum millia, nos autem & panis & pecuniarum inopes ſumus, ac proinde nullum prorſus occurrit horum hominum neceſſitates ſublevandi remedium: *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt, ut unuſquiſque modicum quid accipiat.* Mira profectò res eſt, quod quotieſcunque homo bonum aliquod opus facere diſponit, mox millena ei occurrant impedimenta quibus retardatur aut prorſus omittitur. Sic verbi gratia ſi hic Eccleſiam frequentare proponat, mox amicus aliquis ſuperveniet, qui eum ab hoc propoſito divertat: ſi eſt dies vigiliæ, ſive jejunii Eccleſiaſtici, mox invitatur ad convivium: ſi jejunare voluerit: ſtomachi mox oritur indiſpoſitio. Si in Eccleſia fuerit ad Miſſam audiendam, mox nobilis quædam tranſiens mulier te diſtrahit: ſi velis facere examen conſcientiæ pro ritè inſtituenda peccatorum tuorum exomologeſi, mille tibi occurrent negotia, impedimenta quo minus ſancto huic exercitio vacare poſſis: ſi puellam aliquam nuptui tradere & dotare volueris, ut à vitæ turpitudine præſervetur, quilibet aliorum te ad eam dotandam jam ante obligatum fuiſſe obmurmurabit: ſi per teſtamentum vel donationem inter vivos, mille ſcuta huic vel illi Eccleſiæ liberaliter donaveris, mox in plateis rumor diſpergetur, quo dicatur, non donum ſed reſtitutionem quandam eſſe rei alicujus perperam acquiſitæ. O quot intercurrunt impedimenta bonum aliquod opus facillimè retardantia! Cum tamen ſi malum quid facere volueris, viam mox invenias apertam, montes omnes complanatos eſſe experiaris, nulla ſit tam gravis difficultas, quæ non facillimè complanetur. Ad ludos te paras, nec habes pecunias, mox tamen centum reperies, qui ad pecunias mutuandas tibi ultro citroque ſe offerant. Armata manu procedis contra inimicum, ſumpturus de eo vindictam; & promptum eum ad duellandum eſſe deprehendis, vix de explenda libidine cogitaſti, cum ecce annuentem tibi è feneſtra ſcortum vel meretriculam aliquam conſpicis, &c.

22. Accepit Jeſus quinque panes & duos piſces à puero quodam ſibi oblatos, eoſque ad ſocietatem uſque unicuique diſtribuit. Verum qua ratione fieri poteſt, ut unus panis vulgaris mille hominibus ſaturandis ſufficiat, ita ut quinque mille hominum famelicorum, qui intra triduum non manducaverant, abunde ſatientur ex quinque panibus? Porro ſacri ſcriptores hanc modicam annonam tertio multiplicatam fuiſſe aſſerunt; Primo ſcilicet ut Sanctus Auguſtinus exiſtimat, in manibus Chriſti: *Hæc multiplicatio primo facta eſt in manibus Chriſti;* Secunda vice, ut exiſtimat Chryſoſtomus multiplicata fuit in Apoſtolorum manibus: *Secundo in manibus Apoſtolorum* Tertia denique vice multiplicata fuit, ut opinatur S. Hilarius in manibus turbæ illius: *Tertio in manibus diſcumbentium.* Mira ſane profectò res & ferre incredibilis, quod ſcilicet aliæ facultates per alienas manus tranſeuntes multiplicentur, ſiquidem ſæculi noſtri experientia omnino contrarium docet, manus namque in alienis facultatibus, ſunt veluti Aquilinæ pennæ aliarum avium pennis commixtæ. Cujus rei fidem præſtare poteſt, qui illas adminiſtrat & tractat.

23. Enim-

13. Enimverò, ô Auditores, non dubito, quin audientes me de panibus & piſcibus diſcurrentem, aliquo moveamini manducandi vel prandendi appetitu: atque ideò diſplicet mihi quod turbæ hoſce panes & piſces omnes conſumpſerint. Dicetis fortaſſe ſupereſſe adhuc reliquas duodecim ſportas: verum quidem id eſt, verum ſuperſunt quoque eſurientes, & nondum refecti duodecim Apoſtoli: *Duodecim cophinos ſecundum numerum duodecim Apoſtolorum*; ac proinde pro vobis nihil amplius reliquum invenio, unde ſi comedere deſideratis, in domos veſtras abite.

---

## SERMO XXIII.

# IN FERIAM SECUNDAM DOMINICÆ QVARTÆ QUADRAGESIMÆ.

*Auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Joan, cap. 2.

1. DIſſolutiones & delicta populorum, quæ tàm contra humanas, quàm contra divinas leges in urbe Hieroſolymitana committebantur, innumeræ, & in quocunque demum genere execrabantur. Major etenim hominum pars in ſenſualitatis tetro pædore putrefacta fætebat; & licet Dei Filius eos qui hoc fœtore contaminati erant, optimè noſſet, nullo tamen in eos animadvertebat genere vindictæ. Nonnulli in plateis toros ludoſque fraudibus miſcentes ſtabant, qui dum fortuito ludendo jacturam patiebantur, cœlo comminabantur, horrendiſque blaſphemiis, Deum cœliteſque impetebant, nec tamen Chriſtus unquam de iis aliquam viſus eſt ſumere vindictam. Corda eorum per ſuſcitatas lites in odia accendebantur atque vindictas, meris vivebant ſuſpicionibus impliciti, machinabantur traditiones, continuiſque dediti erant hoſtilitatibus & inſidiis, nec aliunde quam per adverſarii ſui ſanguinem compeſcere aut extinguere poterant concepti odii & ardores, vel indignationis flammas; & tamen Chriſtus idipſum ſe animadvertere diſſimulat, & punire intermittit. Alii inter medios noctis horrores, utpote qui committendorũ latrociniorũ egregii ſunt fautores, & complices, rapaces manus ſuas mercium intulerunt tabernis vel officinis, aliiſque auri lapidumque pretioſorum reconditoriis; & Chriſtus Dominus nihilominus iram ſuam fræno quaſi coercens, punire diſtulit delinquentes: ipſimet denique Angeli ex tot enormitatum nauſea ſtomachati, eoſdem deſerere ſunt coacti, hiſce in aere vocibus manifeſtè reſonantibus: *Tranſeamus ex his ſedibus.* (*Ioſephus Hebr.*) Et tamen filium Dei nuſquam ad flagella apprehendenda motum fuiſſe lego. Porrò Hieroſolymam veram quandam fuiſſe vitiorum ſentinam, Iſaias propheta teſtatur, dum eidem comminando ſuas evidenter ob oculos ſtatuit diſſolutiones, dicens: *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis: dereliquerunt Dominum, blaſphemaverunt ſanctum Iſrael abalienati ſunt retrorſum.* Iſa. cap. 1. Moxque idem ſanctus Propheta ſubjungit: *A planta pedis* (per hanc plebem intelligens) *uſque ad verticem*, id eſt, uſque ad primates & nobiles, *non eſt in eo ſanitas, vulnus & livor & plaga tumens*; (*Hieron. ib.*) Circa quæ verba Illuſtriſſimus Epiſcopus Monopolitanus dicit; quod ea *varias indicabant animarum ægritudines, quibus & nobiles & plebeii, Eccleſiaſtici & ſæculares, divites & pauperes afficiebantur.* (*Io. Epiſc. Monopol. ſer. 2. Dom. 4.*) Et tamen Redemptor noſter